





R E C T O R  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**CAROLVS DANIEL  
FREYBERG**

LOGICES ET METAPHYSICES PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIUS INCLVTAE SOCIETATIS  
LAT. IENENSIS MEMBR. HONORARIVM

*O R A T I O N E M*

A B

HENRICO GOTTHELF GOESSELIO

KREYSSENSI

L L . A A . MAGIST

BENEFICI SIGISMUNDINI ERGO  
IN AUDITORIO MAIORE

CRASTINO H. L. Q. CC

HABENDAM

**CIVIBVS ACADEMICIS**

COMMENDAT

---

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACADEMIAE A TYPIS.

VITEMBERGA  
CASTAE RETINENS DOCTRINAЕ

P. II

**D**ici non potest, quantum sit opportunitatis  
sacris tam prospere emendatis Theologiae  
uniuersae comparatum, imo uero complu-  
res, partibus nostris offensi, in eas mitius  
inclinarunt. Rursus Bellarminus prodeat in me-  
dium, caussamque nostram de uenia peccatorum, a  
Deo impetranda, agat. *propter incertitudinem, in-*  
*quit, propriae iustitiae, et periculum inanis gloriae, tu-*  
*tissimum est, fiduciam totam in sola Dei misericordia et*  
*benignitate reponere.* de iustificat. I. 7. Alii uero  
hanc medicinam in uenenum conuertebant, crimi-  
nantes, Lutherum omni honestati indixisse bellum,  
ac uitae dissolutae patronum egisse. Cui cauilla-  
tioni prima eius uox, Academiciti templi foribus affixa,  
pudorem facit, *Iesus, praedicans, agite poenitentiam. to-*  
*totam Christianorum nitam ueram poenitentiam uoluit*  
*esse.* Potius, cum Deus tot tantisque concederit de-  
lictis, uel beneficiorum memoria in nostro ponit  
officio animi totius integritatem, probosque mores.  
Sicut autem vir diuinus Romanam diruit domina-  
tionem, nosque e seruitute tristissima in libertatem  
afferuit, sic ferre noluit eos, qui e nobis ipsis egressi,  
nouis rebus studebant, internisque dissidiis externo-  
rum

rum magnitudinem periculorum acerubant. Temeritas enim, seruatoris epulo calicem demendi, optimum quemque offenderat, ipsosque principes, sedi Romanae deuotos, instigarat, ad hoc sacrilegium e medio tollendum, ciuibusque, imperio subiectis suo, bonorum, a Christo legatorum, hereditatem ex asse uindicandam. Rationi magis arrisit potestas instituti Christi impropria, ad quam stabilendam, humanae consociatio naturae diuinaeque arctissima rumpebatur. At doctor saniorum praeceptorum fraudes mox deprehendit, monumentorumque, diuinitus consignatorum, auctoritati innixus, proprietatem maluit retinere, maiestatemque summam, cum humanitate copulatam, uenerari, quam fraternalm societatem infidamque cum detimento ueritatis inire, tametsi per eam procella temporis istius deuitari facilius uidebatur. Atque haec est summa doctrinae melioris, ab Luthero prudentia ac uirtute singulari nobis restituta, quam e locis maximi momenti eo consilio in unum contraxi, ut, quam longe ab his uestigiis aetas nostra recesserit, quam cuncta obtruerit, cuilibet appareret. Flagrat nunc inuidia Augustinus, cuius familiae nomen Martinus dederat, ac potius disciplinae, oraculis sanctioribus maxime conformatae. Tollitur in coelum laudibus Pelagius, quo tectius, commendata hominis dignitate, errores in animos influant. Quid, quod nouisime uir non obscuri nominis Semipelagianos,

quos nominant, in fidem recepit, propter contro-  
uersiam de uerbis iniuisos. Alter rationem tanto nu-  
mero habuit, ut, eam iam nobis compendiariam  
ad aeuum sempiternum uiam monstrare, acrius con-  
tenderet. Ex Anglis enim, quorum non sapien-  
tiam modo, sed etiam stultitiam miramur, Taylor  
complures sibi socios adiunxit, malique, natura iam  
nobis iniisi, calamitatem extenuauit, acumen praes-  
sertim mentis perspicax statuit, ad uoluntatem fle-  
ctendam, recteque factis ornandam. Qui sibi pot-  
est ipse subuenire, non eget opis alienae, sed ducis  
periti, qui exemplum praebeat ad imitandum. Sic  
expiatio Christi, cuius caput est pro noxa consecra-  
tum nostra, in merum uirtutis specimen abit, altera  
iam parte mutilata. Nam frustra sumus tot effato-  
rum Dei testificationibus persuasi, hominum sponso-  
rem legibus, a Deo promulgatis, ipsorum paruisse  
nomine, officiumque, quod hi deseruerint, cumula-  
tate persoluuisse. Impetus autem uariorum, qui  
uolunt esse nostri, in diuinam Christi excellentiam  
me saepius admiratione defixerunt. Alii Critics  
adminiculis certarunt omnibus, ut dicta de illa cer-  
tissima nobis eriperent, uel iis prorsus delendis, uel  
aliis sufficiendis humilioribus formulis. Alii filii Dei  
cognomentum ad naturam pertinere negarunt, solas  
Meissiae partes spectare. Alii natum patre inferio-  
rem posuerunt, non ab humanitate, sed ipsa diuini-  
tate, uocemque antiqua consuetudine solemnem  
*ομοούσιος*

ōμοούσιος ludificati, subterfugere accusationem stu-  
duerunt. Me quidem non fugit ipsius professio Lu-  
theri, tomo II. Ienensi concepta, *quod si odit anima  
mea nomen ὄμοούσιος, et nolim eo uti, non ero haereti-  
cus, modo rem teneam.* At exagitatus aduersariorum  
cauillationibus loquitur cum adiunctione, ac de sola  
uoce, re salua. Nunc uero res ipsa cadit, magnaue  
copia testimoniorum coetus antiqui profunditur,  
quibus a Deo genitus infra parentem deprimatur,  
callide praetermissis contrariis, aut, quod artificio-  
sius est, in malae fidei suspicionem uocatis. Quae  
de necessitate iustitiae disputantur ultricis, miseri-  
cordiae indulgentia diuinae sopiauntur, magnaue  
licentia clarissimae comminationes ac severissimae  
de poenis inferorum sempiternis eluduntur. Fides  
autem, solatii plenissima, rursus a Christo abducitur  
ad actiones, legibus conuenientes, atque in propo-  
sito uitae, rectius instituendae, quaeritur, fructibus  
cum arbore permisisti, per speciem ueteris calumniae,  
ac si materia peccandi impudentius sceleratae mali-  
tiae sumministretur. Ecquid rationi rerum diuina-  
rum conformatioique supererit, si, quod homines  
insolenter usurpant atque immodice, exterminan-  
dum statim videatur. Qua propter absolutio eo-  
rum, qui merita seruatoris complectuntur, cum ad-  
optione, quae sequitur, conturbatur, talibusque ma-  
chinationibus ipsa religionis nostrae fundamenta  
quassantur, aduersariis telum acerrimum datur. De

Caluini

Caluini schola nihil attinet multa commemorare.  
Quam cupide erim cum ueri iactura huic quoque  
reconciliemur, nouissimi libelli, sine auctore editi,  
studia declarant, qui inscribitur, ad Anticriticum su-  
per quibusdam iudiciis de Berolinensibus atque Hal-  
lensisbus. Is de sanctiore coena, arctissimaque, qua  
suffulcit, naturarum in Christo coniunctione lites  
in andabatarum pugnas retulit, eaque mente Carp-  
zouii, Buddei, Baumgartenii contaminauit auctori-  
tates, sibi non temperans, quin Lutheri de  
ea sententiam infaniae damnaret. Istud mirari fa-  
tis non possum, tam paucos surgere, qui stationes  
agant, ac petulantiam, prout par est, coercent. quae  
quo est impunitior, eo effrenatior bacchatur. Sae-  
pius optare soleo, ut minus ignauit ad haec bella re-  
uiuiscant Theologi, suaque fortitudine rem Luthe-  
ram non cunctando, sed dimicando restituant. Nam  
cum tanto prodierint robore, ut primum quis mu-  
nitiones externas oppugnauit, quid facturi non es-  
sent, ubi nunc uiderent hostes in eo esse, ut uel ar-  
ces prosterant. Quid multos absterreat, non igno-  
ro. Est quaedam coniuratio censorum, qui nemini  
laudant, nisi conspirationis participem, aut sup-  
pliciter clementiam suam implorantem. Viros au-  
tem bonos, quasi scurrilis dicacitas libertatis decus  
mereatur, non argumentis grassantes, sed Cynicis  
salibus, omnibus contumeliis onerant, quod crepu-  
diis ingenii patriam seueritatem auitamque praepo-  
nunt.

nunt. Nec uero horum iudicum, uitio creatorum, animaduersib⁹ uerus stat honor, potius est incorruptus posteritatis sensus reuerendus. Haec nos turpissimi delicti reos ageret, si uestigia, a maioribus laudabiliter impressa, desereremus. Nam quo grandiora sunt, quibus mactamur, dona, eo maiori ducitur ingratus animus dedecori, omnia uitia complexus. Quid autem doctrinis, ad salutem perpetuam cognitu necessariis, praestabilius, quid magis expetendum. Nomen heredis quantae subiicitur infamiae, cui parentes locupletissima reliquerunt bona, quique ea per se tueri nec uult, nec potest, imprudentia ac dissoluta iuuenti ratione profusa. Quanta igitur nobis macula inuretur, rectis de numine sententiis amissis ac perditis, quas Lutherus incredibili labore reduxit in medium, quas regiones, ipsi deditae, cum magno fortunarum ipsiusque uitiae discrimine protexerunt, quas, clandestinis dolis, uel Vitembergæ, rursus adulteratas, integrorum uirtus doctorum ad priorem castitatem reuocauit, nostræque fidei illibatam commisit. Quae si cui leuiora uidentur, utilitatis, quam honestatis, cupidiori, is commoda mecum reputet, quibus mundities religiosis Vitembergam locupletauit. Haec a principio ingentem iuenum multitudinem ad hanc libera- lium studiorum sedem allectauit, haec eandem frequentiam seruauit diu, haec nouissima obsidione disiectam, congregat iterum, et magis magisque augebit

Sed

Sed hic locus aliud tempus flagitat. Hebenstreius, recti vir exempli, cum Lipsiae diem obisset superium, Mascouius dixisse fertur, uetus Theologia occidit. Flebilis profecto lamentatio, sed proh dolor uera. Quot enim hac aetate Theologi sibi gloriam sumunt, qui ne paginam quidem Lutheri, Melanthonis, Chemnitii, aliorumque expertae pro bona causa uirtutis legerunt, chartis recentioribus contenti, tam leuibus, quam leui ingenio excluduntur ac fouentur. Vos, *Ciues*, hanc fugite vanitatem. Legite ueteres, ab iisque cogitandi grauitatem dicendique accipite. Retinete professionem coetus nostri, ut uos uita prius deserat, quam fides. Sanctiorem disciplinam literis elegantioribus ac philosophia ornatam firmate, ac mecum pia suscipite uota, ut Deus palladium salutis publicae, lumen ac decus nostrum, sanam religionem, sine ullo incommodo, obtegat, qua salua, salua est Vitemberga, Saxonia salua.

Sic recte factorum conscientiae seruietis, cuius momentum ad uitae beatae tranquillitatem probabit *Vir Clarissimus Doctissimusque, HENRICVS GOTTHELF GOESSEL, Kreyffsenis, LL. AA. M.* ut legi beneficium Sigismundini pareat. Cuius Vobis, *Ciues Humanissimi*, diligentia ac uirtus quo spectatior est, eo maiori frequentia atque attentione consilio eius fauebitis, renouandae illius feminae memoriae, quae, sicut arte sua multos in uitam produxit, sic liberalitate in hanc Academiam dignissima uidetur, quae in animis nostris perpetuo uiuat. P. P. Dom. Miseric. cIcIccLXXII

Ye 3447





5b.

V317

03, 2001 Bd,







RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**CAROLVS DANIEL  
FREYBERG**  
LOGICES ET METAPHYSICES PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS INCLVTAE SOCIETATIS  
LAT. IENENSIS MEMBR. HONORARIVM  
*ORATIONEM*  
AB  
HENRICO GOTTHELF GOESSELIO  
KREYSENSI  
LL. AA. MAGIST  
BENEFICI SIGISMUNDINI ERGO  
IN AUDITORIO MAIORE  
CRASTINO H. L. Q. CC  
HABENDAM  
**CIVIBVS ACADEMICIS**  
COMMENDAT

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACADEMIAE A TYPIS.

